



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di
Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/a


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/a



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/a


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/a


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/b

ORATIO
ACADEMICA
DE FORMIS RERVMPVBLICARVM:
HABITA
IN ACADEMIA RICOVRATORVM
A IO. COTTVNIO
AD
ILLVSTRISSIMVM D.
BERTVCIVM
CIVRANVM,
PATRITIVM VENETVM.

FILIVM ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS.
ANTONII.
Morum probitate, eruditione,
& liberalium artium studiis
præstantem, ornatum, optimum.



Patauii, Ex Typographia Pauli Frambotti. M.DC.XXXVIII.
Superiorum permissu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/b

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/b



Illustrissimo, ac doctissimo D.

DOMINO BERTVCIO CIVRANO,

Filio Illustriss. & Excellentiss.

ANTONII.

JO. COTTVNIVS. F. P. P.



Ambigebat olim [a] *mellitus poeta,* a Catullus epigr. 1.
Quoi dono lepidum nouum libellum,
Arida modo pumice expolitum?

Ast ego nullus ambigo, cui donem hanc, quanquam illepidam, orationem.

Ciurane tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare musas,

Iam tùm, cum *Patauii doctum & laboriosum virtutis, ac litterarum iter capesceres. In quo quidem Europæ Theatro summa cum omnium bonorum acclamatione aliquot annos, gloriosè decertasti: Græcam iuxta ac latinam* ἐγκυκλοπαιδίαν, καὶ πολυμαθίαν *hausisti: vniuersæ Philosophiæ, Naturalis æquè, ac Morum stadium acri alacrique animo cucurristi, tamque probè, integrè, sanctèque vixisti, vt esses aliis validum, atq; vehemens, & virtutis exemplum, & gloriæ calcar. Me præterea cùm ipse, tum Inclyta, & Excellentissima tua Familia, arctiori quàm Gordiano, quod aiunt, obligationum nodo deuinxistis. Ac-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/b

cipe ergo quicquid hoc est a me humaniter; mole quidem exiguum, at mei erga te magni obsequii plenissimum symbolum; ego verò ex intimo animi recessu Deum Opt. Max. deprecor, vt te incolumem, sospitemque, inter magna Ciuranæ Familiæ Lumina, quamdiutissimè & seruet, & tueatur, atquè cum Homero dico,

οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε, θεοὶ δέ τοι ὄλβια δοῖεν,



ORA-

ORATIO ACADEMICA

De Formis Rerumpublicarum.

NIHIL eſt magnarum rerum fama velocius. Increbuit magnæ huius, inclytæque veſtræ Academiæ inſtauratio actutum in diſsitas terrarum plagas: eximius virtutis ac ſapientiæ huius ſplẽdor incredibili celeritate longè lateque ſe ſe explicuit: e remotiſsimis Orbis partibus iam nunc ad veſtra vota, ſuffragiaque concurrunt. Lis inter duas honeſtiſsimas potentiſsimasque matronas, longè operoſior, quàm quæ olim inter duas illas, quæ de Hercule acri concertatione contenderunt, excitata, poſt varia rerum diſcrimina, tandem ad veſtræ ſapientiæ iudicialem vigorem defertur hodierna die. Anſam litis ac diſcordiæ Cornelius Tacitus nuperrimè creditur porrexiſse. Quæquidem matronæ ocellum Græciæ, Athenas concordi animo, diſcordi nimiùm de re petiere, vt in ſupremo illo Areopagi iudicio, in quo ſine exordiis,& affectibus audiri conſuetum erat, ſuam quæque cauſam tutaretur. Illic inuerſa rerum facie deprehenſa, & antiquo illo ſplendore,barbarico quodam ſqualore obſito conſpecto, me ſummis adortæ ſunt precibus, vt in præclariſsimis Patauinis Athenis, ad grauiſsimum hunc veſtrum, ipſoque Areopagitarum integriorem conſeſsum, ea ipſa de re dicturis aditum impetrarem. Spopendi mecum hunc laborem futurum: primùm

Lib. 4. cap. 33.

Mos in Areopago dicendi.

ve-

vestræ omnium humanitati confisus, quod honestissimis his matronis, de re non leui ac ludicra, sed seria, magniq; pensi ac ponderis dimicantibus benignas, arrectasque aures præbituri sitis: Deinde, quia cuicunque ingenuo matronarum iussa capescere fas est. Si Hortensia Q. Hortensij filia, cum ordo matronarum graui tributo a Triumviris Romæ esset oneratus, nec quisquam virorum patrocinium eis accõmodare auderet, causam fæminarum apud grauissimos viros constanter ac feliciter egit, & impetrauit: si Amesia Sentia rea, causam suam, L. Titio, prætore iudicium cogente, magno populi concursu egit, ac prima actione cunctis pænè sententiis liberata est, quid vetat hasce etiam in hoc frequenti audiri concursu? Verùm prius mentis acie earum formam & habitum intueamini.

Appian. lib. 4. de bell. ciu. Et Valer. Max. lib. 8. c. 3

Describitur Monarchia ex Iconol. Ripæ.

Accipite ergo animis, iustasque aduertite mentes.
En prodit matrona oculis, vultuque superba,
Ægide ferrata totum circundata pectus,
Et rubicunda nitet fulgente sub ægide cyclas.
Tempora non fuluo Regum diademate cincta,
Sed rutilis Phæbi radiis, & luce coruscant.
Indomitus ceruice Adamas, torquesque superbi
Pectoris ima petunt; stat cunctis fulgidus ardor,
Firmaque gemmatis velantur crura cothurnis.
Terrestri sedet in sphæra; tum pollice dextro
Bis duo sceptra gerit, sed læuo deinde papyrum
Imperiosa tenet, qua scriptum est, OMNIBVS VNVS.
Parte sui dextra leo trux decumbit, & anguis
Immani stans mole: iacent à parte sinistra
Conuincti miserè, & cincti diademate Reges.
Ante pedes fasces, gaza, vexilla pererrant:

Ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/b

Arma timendorum Regum. Hæc sic ore profatur.

Quæ inter primas hominum societates prima vigui, & natura ipsa dictante constituta fui, illa ego sum Monarchia, siue iusta vnius in cæteros dominatio; quæ e syderea arce in terras demissa, communi semper sapientum suffragio, omnium Rerumpublicarum, & dominandi formarum optima, præstantissima, & vt de me Aristoteles loquitur π·ώτη καὶ θειοτάτ *prima ac diuinissima* iudicata, nunc, heu pudor, ab Aristocratia, optimatum dominio, quæ de præstantia perfractè mecum contendere audet, lacessita, ad eximiæ vestræ pietatis asylum, æquissimaque suffragia confugio. Ratum & compertum mihi est, nullam apud vos animi turbationem effrænis æmulæ meæ illecebras illaturas, nullaue effecturas vì, quin rectam, vestręque sapientiæ consuetam instantes viam, æqua an lance, an lancea tum mea me in pristina dignitate retineatis, tum perditam huius audaciam, quasi Rhamnusia Nemesis confringatis.

Monarchia siue Regnum agit suã causam.

Lib. 4. Polit.

Adagiograph. pag 642

Atque vt rem ab vltimis repetam, reuocate in memoriam, omnem dominatus formam, vel vnius, vel plurium, vel singulorum esse. Vnus, si ex iustitia, ac sponte parentes moderatur, effulget mea conditio, quam syncero nomine Regnum, & principatum appellitatis: si cõtra fas, viq; inuitos cocercet, tetra emergit tyrannis: Plures, si nunquã quicquam præter scriptas leges, moresq; patrios faciunt, emicat Aristocratia, optimatum imperium; cum verò leges pronihilo ducunt, & cuncta pro arbitratu ac libidine tractant, oritur paucorum potentia Oligarchia. Singuli denique, si ex virtute & honestate habenas Reip. flectunt cõsurgit popularis administratio Democratia; sin autem

Sex Rerumpub. formæ simplices Arist. 8. Ethic. & Plato in Polit. Vel tres species, & totidẽ trãsgressiones.

secus

secus, status plebis efficitur, dicta Ochlocratia. Porrò nulla e reliquis quatuor de præstantia mecum ne hiscere quidem vnquam ausa, sola hæc perfractis decentiæ, ac pudoris repagulis, ingrata tollit cornua, inflata, vt videtur, quodam Cornelii Taciti testimonio, Iustiq; Lipsii interpretamento perperam intellecto, quasi ille in quarto suorum Annalium libro, me, an cæteris præstem, in ancipiti posuerit, dum hæc litteris consignauit. *Cunctas nationes, & vrbes populus, aut primores, aut singuli regunt. Dilecta ex his, & constituta Reipublicæ forma laudari facilius, quàm euenire, vel si euenit, haud diuturna esse potest.* Hic verò cum in altero libro suæ ciuilis doctrinæ in dubium vocauisset, *sed quæ ex his*, nempe dominandi formis, *optima? diu* inquit, *hoc in lite, quam soluit, & non soluit idem ille noster. Dilecta ex his &c.*

Lib. 4. Ann. ca. 33.

Lib. 2. Polit. cap. 2.

Post calumniam natam atrociori ac fœdiori calumnia nemo vnquam petitus est, quàm petor hodie. Tacitus de me anceps, qui nusquam nisi vnum molitur, ac struit principem? Hoccine, Lipsi, diu in lite? mea in reliquas præstantia extra omnem controuersię aleam semper stetit. Quid Tacitus soluat, qui nullus ambigit? Neque, quē tu illi sensum adhibes, ipse habet; sed dilecta, inquit, nempe mixta, & constituta ex tribus illis imperandi formis, facilius laudari, quàm euenire potest Reipub. forma. Cogor hic nonnulla meæ præstantię capita attingere. Ac primò quidem quis est, qui, si pulcherrimum & admirabilem mundi ordinem ac regimen vel caligante animo contempletur, non illico optimum præstantissimumque exclamet? Quis autem dubitet, quin hic ab vno principe ac Monarcha Deo regatur? ea igitur dominandi facies

Expl. Tacitus & reiicitur Lipsii interpos.

om-

omnium optima ac præclariſsima cenſenda eſt, quæ ſapientiſſimo ſummi Principis dominatui quàm exiſtit ſimillima.

Introſpexit hoc lynceis naturæ oculis Stagirites, dum duodecimum ſuorum diuinorum opus, immortali corona potius, quàm coronide claudens, cùm ſua, tùm Homeri auctoritate, veluti ex alta quadam ſpecula pronunciat, *ea quæ ſunt, nolunt malè gubernari*. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. *Non eſt bona dominatio multorum, vnus ſit princeps, vnus Rex* Deinde, hæc regendi norma apprimè rerum parenti Naturæ congruit, quæ rebus ſingulis a ſe procreatis vnum impertit principium: vnum membris elargita principium cor, vnum corpori animam, vnam animæ mentem, *Vnum imperii corpus*, inquit Politicæ facultatis princeps Tacitus, *vnius animo regendum eſt*. Monſtri, monſtri vicem Res illa præſefert publica, cuius collo plura aptantur capita. Turbas, & diſcordias trudes, vbi plures dominantes intrudas: diſsidiis ac ſeditionibus ſuis, cùm ſe, tùm Rempublicam lacerabunt. E Delphico tripode delatum cenſeto, quod *arduum, eodem loci potentiam, & concordiam eſſe*. Quid? ecquis vnquam in tanta eſt rerum humanarum caligine, aut in vetuſtatis monimentis tam tyro, quin ſciat, dum ſępenumero Res aliqua publica ſæuientis ambitionis multorũ procellis huc atq; illuc miſerabiliter agitata & diſtracta, ſalutare viſum fuiſſe, *omnem poteſtatem ad vnum conferri?* vt illa vnius ductu & auſpicio recta, ea obliteraret errata, quæ multorum libido inuexerat. Sapientiſſimi Romani, quod reliquæ quoque gentes ſæpe factitarunt, periculoſiſſimo quoquo Reipl. tempore, magiſtrum po-

Ariſt. lib. 12. Metaph. in fine.

Homer. Iliad.

Lib. 1. Annal. cap. 12.

Tacitus lib. 4. Annal. cap. 4.

Tacit. Lib. 1. Hiſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/b

puli Dictatorem dictabant, in quo ſumma rerum poteſtas, & ius maieſtatis, ac totius imperij re ipſa Regiũ erat. quia *diſcordantis patriæ*, vt Tacitus loquitur, *non aliud remedium fuit, quàm ſi ab vno regeretur.* Planè. quia cùm ab vno regitur, tum ad ſuum principium redit, & conquieſcit. Enimuero vnus aliquis priſcis illis temporibus homines, cum per ſyluas & nemora ferarum more vitam agitabant, eximia ac diuina quadam ſapientia in communem ſocietatem iunxit, oppidis ac mœnib. cinxit, ſalutaribus inſtitutis rexit, & ad virtutis iter direxit. Vnius fuit *hæc ſapientia quondam Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis,*

Horat. in Arte Poet.

Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Domus ea, quæ vnius ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus, & apparatior: nauis optimè curſum conficit ea, quæ vno ſcientiſſimo gubernatore vtitur: exercitus, cui præpoſitus eſt ſapiens & callidus imperator, omnibus partibus commodius regetur, facilius inibit diſcrimina, decertabit fœliciſſimè. Reſpubl. magna quæpiam domus eſt, & *Rex*, quemadmodum Plato loquitur, *ſapiens bonusque, gubernabit ſemper ita ad ſubditorum ſalutem reſpiciens, vt ad nautarum, nauiſque ſalutem reſpicit gubernator.*

In Polit. in princ.

μέγα βλάψαι, inquit. Thucydides, καὶ τὸ πλῆθος τὸν στρατηγῶν, καὶ τὴν ἀναρχίαν *plurimùm nocere, & multitudinem imperantium, & regimen nullum ac incertum.* Sileo, quod Regia mea conditio omnium antiquiſsima ſit, *omnes antiquæ gentes primùm Regibus paruerunt*, inquit latini eloquii pater Tullius. Eorum verò, quæ ad imperium ac religionem ſpectant, vel ex Apollinis Pythii oraculo, *antiquiſsima quæque*

Lib. 4.

Lib. 3. de legib.

optima

optima. Sileo, quod prisca & sancta mortaliũ gens, in Regem quemquam euehebat, vel ob singulare ac palmare aliquod acceptum beneficium, *quod est optimorum virorũ officium*, vel quòd animi corporisve dotib. antestaret, quò cæteros tueretur ac defensaret. vnde Reges, Græco vati nuncupati sunt, ποιμένες λαῶν *Pastores, populorum*. Sileo, quod Rex constituitur subditis ceu Idea & exemplar virtutum, in quem cunctorum coniici debent oculi, quippe *Rex*, vt infit Plato, *Deus quispiam humanus est*. Huiusmodi autem facilius ac felicius vnum, quàm plures inueneris. Nihil de mea diuturnitate dicam, ad quam nulla vnquã Rerumpublicarum ne anhelare quidem potest. Nihil de mea amplitudine, & ditionis propagatione, quæ tãta plerumque extitit, vt meritis laudibus exceptum sit Octau. Augusti monitum, *coercendi intra terminos imperii* Romani. Nihil quod expeditior ac liberior sim, nam *quæ in cõmuni expostulantur, tarda; priuatam gratiam statim mereare, statim recipies*. Nihil denique quod secretior, resolutior, augustior. Ea, *ea est dominandi ratio*, inquit, Tacitus, *vt non aliter constet, quàm si vni reddatur*. Perit humanæ societatis, nedum imperii vnitas, vbi non præest vnus. Sed iam altera matrona introduci rogat. ergo

Arist. l. 3 Politic. cap. 11.
Homer. Iliad. 1.
Plato in Politic.
Tacit. lib. 1. cap. 21.
Lib. 1. Annal.
Tacit. lib. 1. c. 6 Ann.

Altera iam gressus multo veneranda decore,
Conuersis studiis, & maiestate virili
Fert matrona potens: cui tempora circùm
It multùm compacta auro radiante corona.
Purpurea chlamide, & fulgenti murice peplo
Velatur: spirant aspectus vndique flammis.
Grandæuo sedet in solio, gemmisque referto.
Virgarum in dextrà fascis, cui serta coronant

Describitur Aristocratia ex Iconolog. Rip.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/b

Laurea summum apicem : stat læuâ Martia cassis.
Hinc pollubrum ingens, & vasta crumena metallo
Omni plena iacet : stant dextra a parte secures,
Arma Tribunitiæ, aucti libertatis honores.
Blandiloquo hæc tales effundit pectore voces.

Aristocratia agit partes suas. Obuiam it rationib. Monarchię.

Maiestatis tuæ oblita soror, admirationem grauissimo huic consessui iniecisti. Si te quoties laceratam excepi sinu, recoleres, haud tam frigidè nunc exarsisses. Quid te intemeratæ, summæque summi numinis gubernationi ac rectitudini confers, quæ in tumidam & cruentam tyrannidem pænè semper delabere? Speciosa vocabula Regnum, principatum, populorum salutem, subditorum vindicem, palam, & vt audiant omnes, quasi Orci galeam obtendis, quę sub lingua, & introrsum tute vana & inania censes, nisi quacunq; machina ad rem tuam detorqueas. Natura verò aut plura, aut vnum vni elargitur principiũ, quod ab recto & constituto eius tramite nunquam descisci, tu ferè semper. Quis verò tibi concesserit, aut initio genus humanum in montibus ac syluis dissipatum, non plurium prudentum consiliis compulsum potius, quàm vnius nutu deflexum, se oppidis mænibusque sepsisse, aut verò reliquas vtilitates, siue constituendis, siue conseruandis ciuitatibus non a pluribus sapientibus ac fortibus viris, sed ab vno quopiam esse institutas? Quis illud dederit, cum plures dissidiis ac seditionibus Rempublicã scindunt, manere amplius & consistere Aristocratiæ dignitatem? Inuertunt funditus rerum faciem, & factionem inuehunt paucorum.

Euripide in Phænissis.

Iam verò vir vnus nemo cuncta dispicit; & vt Polydamas

Iliad. N.

apud Homerum alloquitur Hectorem

Aλ-

Ἀλλ᾽ οὔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι.
ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
ἄλλῳ δ᾽ ὀρχηστὺν, ἑτέρῳ κίθαριν, καὶ ἀοιδὴν,
ἄλλῳ δ᾽ ἐν στήθεσσι τίθει νόον εὐρύοπα Ζεύς.

Haudquaquam poteris ſortirier omnia ſolus:
Namque alii Diui bello pollere dederunt.
Huic ſaltandi artem, voce huic, citharaque canendi,
Rurſum alii inſeuit ſagax in pectore magnus
Iuppiter ingenium.

Quod vnus non videt, alter introſpicit. quod hic pręſtare non valet, ille peragit, atque ex veteri ſententia *vnus nihil, duo plurimum pollent*. Deinde, dignitatem, & virtutẽ, quam vnam magni duco ac facio, effuſiorem & auguſtiorem, quàm Regnum, includo. Conſpiratio ſum multorum virtute & nobilitate præſtantium, quaſi multorum Regum in vnum virtutis ſcopum collimantium. Quid verò? plures probi & eximii viri honeſtatis nexu ad imperium nexi, acrius cuncta proſpiciunt, alacrius diſponunt, diligentius perpendunt, exquiſitius deliberant, lente feſtinant, maturè exequuntur, minus ab animi turbationibus impelluntur, a recta denique rationis orbita minimè diſtrahuntur. *Singuli decipere, ac dicipi poſſunt; nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Plin. in Paneg.

Audi diuinum vatem,

ἀλλ᾽ ἐφομαρτεῖτον, πλεόνων δέ τι ἔργον ἄμεινον.

Adſitis comites; multorum induſtria namque plus pollet. Homer. Iliad. p.

Audi etiam, quo tantopere triumphas, & albis inueheris equis, Ariſtotelem, quid de me quaſi vocaliſſimus ac ſtentoreus quidam præco inclamat, *cum*, inquit, *plures ſint, vnusquiſque partem habet virtutis ac prudentiæ; & fiunt in* Ariſt. lib. 3 Polit. cap. 11.

vnum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/b

vnum collati quasi himo vnus, qui multos pedes habeat, multasque manus, multosque sensus, & eodem modo circa mores, & intelligentiam, quapropter melius iudicant multi, alii enim aliud, & cuncti cuncta discernunt: Vin'eius quoque audire exemplũ? perinde, inquit, in optimatum imperio contingit, atque in conuiuio, quod porrò apparatius ac magnificentius celebratur, in quo plures symbola contulerunt, quàm quod ex vnius erogatione fit. Parco, quod

Tacitus lib. 1. Hist. cum *nasci, & generari a principibus sit fortuitum, nec vltra æstimetur.* plerumque apud te vsuuenit, vt vnus ille recturus, quasi ex orci faucibus emergat coinquinatus, improbus, scelestus,

Iuuenal satyr. 4. *monstrum nulla virtute redemptum a vitiis,* cui parere non modo virtutis non est, sed est potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Apud me verò in publicis conferendis muneribus, & demandandis

Tacitus lib. 1. Hist. dignitatibus *electio optimum quemque inuenit.* Et, *si eligere velis, consensu monstratur.* Parco, quod si fato quopiam

Plin. in Paneg. vnquã obtingat, vt vnus ille affulgeat an bonus, an ἡμίχρηστος semibonus, turba, & rapacitas assentatorum, ac ministrorum efficit, vt quod olim Diocletianus conquerebatur, *bonus & cautus Imperator vendatur.* Parco. Sed dum Aristocratia tam honestè partes suas tuetur, subitus mihi nescio quis fulgor obuersatur. Cerno, cerno eminus longè venerabiliorem: eam purgatis mentibus, & auribus excipitote.

Æquore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/b

ÆTERNA, RESPVBLICA, VENETA

Aquore iam medio ſurgit matrona ſerena
Tertia; mortali non par formaque habituque;
Eximiis ſuperas ſed diuas vultibus æquat.
Regale in capite exurgit diadema coruſcum,
Nobile curuatum conſtringens vertice culmen.
Ambroſii lambunt humeros dulceſque capilli,
Raros magnificè ſpirantes vndique odores.
Excelſa, ac nitidis Sella fulgente ſmaragdis
Sublimis, gaudenſque ſedet: veſtitur honeſta
Palla: & picta ſagax obducunt ſtragula pectus.
Velamenta iacent, ornatus diuite collo,
Blandicolora, tulit quæcunque & Gadis, & Indus.
Læuà profligatæ Aſtrææ ſigna, bilances,
Innocuis pacem, pœnam ſed ſontibus acrem
Continet: at dextræ indomitus cuſtoſque vigilque
Arrectus læuo nitidum Leo diripit enſem
Vagina extractum: dextro fert vngue quietem,
E Cælo æternam pacem, vitamque ſerenam.
Nauiger inde maris reuerenter poplite flexo
Exhibet obſequium Neptunus: iamque cohortes
Tritonum raucæ, Nympharumque agmina fuſa
Applaudunt: clamantque omnes, SIS LAETA, BEATA.

Deſcrib. Sereniſs. Reſpub. Veneta.

Agnoſcitis, opinor, DOMINAM, & vel ipſa acroſtichis, hoc eſt, primæ verſuum continuo ordine ſequentiũ litteræ indicant, quæ ſunt, ÆTERNA, RESPVBLICA, VENETA. Mixta, inquam, eſt dominandi forma ex Regia & Ariſtocratia. Complicantur enim ſex illæ ſimplices Rerumpublicarum formæ, & varia conſurgunt mixta imperia. Regia hic effulget maieſtas in Sereniſſimo, Perpetuoque Principe: in reliquis verò Reipublicæ luminibus imperium optimatum.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/b

Forma imperandi mixta ex Regia & Aristocratia præfertur cæteris omnib.

In hac ergo regnandi forma coniunctim inuenire est, quicquid perfecti in Regia, & optimatũ seorsim ac separatim apparet. Hæc ornata est vtriusq; illius dignitate, munita vtriusque virtute, conspicua vtriusque splendore, immunis ab innumeris incommodis, quibus vtraq; illa disiuncta ac dissociata existit obnoxia. Vt merito atq; optimo iure diuinus Plato, quamuis facta comparatione inter simplices, Regiam administrationem prætulerit, nihilominus hanc mixtionem ex Regia, & Aristocratica apprimè salutarem existimauerit, eamque veluti septimam ac præstantissimam posuerit, dum inquit. *Singulis in duas diuisis, sex efficiamus, rectamque ipsam veluti septimam ab aliis secernamus*. Ita ita, rectamque ipsam veluti septimã ab aliis secernamus. Et si Aristoteli inter reliquas Rerumpublicarum formas, Regia, & optimatum administratio etiam seiunctæ visæ sunt rectæ, coniunctæ redduntur rectissima, perinde atque duo odora corpora consociata, fiunt fragrantissima. Huic ergo Serenissimæ matronæ, Æternæ Reipublicæ Venetæ, mixtæ inquam imperandi formæ ex Regia, & optimatum, vtraque illa matrona, Monarchia, & Aristocratia, disiuncta ac solitaria assurgat: Huic porrigat herbam, & digitum vltro attollat. Huic equidem inter omnes dominatus formas, deliberato consilio, firmaque sententia primas decerno, & ambabus vlnis palmam do, dedicoque, existimans idem vos etiam præstituros.

In Polit. circa fin

Lib. 3. Politic.

Auctoris sentent.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.17/b